

nota, quòd si agatur de percussione enormi clerici etiam coràm duobus tantum facta, ex altero d. Cong. Decr. relat. à Fagn. loc. cit. n. 38., adhuc dicitur publica; idèdque Episcopus ab illa absolvere non potest. Nota insuper, quòd licèt Episcopus in vim cit. cap. 6. Trident., absolvere possit à dictis casibus occultis etiam forensem, fungentem in sua diœc. officium prætoris vel medici, non potest tamen ex declaratione Greg. XIII. relat. ab eod. Fagn. n. 36. eum dispensare super irregularitate. —II. In casu impotentiae et impeditenti à censura publica Papæ reservata absolvere potest Ordinarius: vel si nec iste adiri possit, prius sacerdos seu confessarius: ità concedit Innoc. III. c. 29. *in fin. h. t. ibi: Verùm, si difficile sit ex aliqua justa causa, quòd ad ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut à suo absolvatur Episcopo, vel proprio sacerdote.* Hujusmodi impedimenta sunt: morbus, periculum morbi aut læsionis in via, debilitas vel ætas senilis aut puerilis, obligatio manendi domi propter servitutem, patriam potestatem, alendos et curandos liberos, fragilitas sexus cujuscùmque feminæ, sive monialis, sive secularis (c. 11. 58. *h. t.*) Hoc tamen casu censuratus debet prius satisfacere parti læsæ, et juramento promittere, quòd sublato impedimento, præsentare se velit Sedi Apostolicæ (cit. c. 11. et 29. *in fin. h. t.*), nisi ab hac comparatione seu præsentatione excusetur: uti senes, pueri, mulieres et perpetuo impedimento laborantes (c. 1. 6. 38. *h. t.*) De absolutione ab hæresi vide suprà tit. de Hæretic.—III. Regulares in Italia non possunt extra Bullam Cœnæ absolvere à quinque casibus Sedi Apostolicæ reservatis, qui sunt: *Violatio immunitatis ecclesiasticæ in terminis Constit. Gregor. XIII.* Cùm alias; *violatio clausuræ monialium ad malum finem, id est luxuriæ; Simonia realis et confidentialis scienter contracta; percussio clericorum; crimen provocantium et pugnantium in duello in terminis Trid. sess. 25. c. 19. de refor., et Constit. Greg. III.* Ad tollendum. Ità disponit Clem. VIII. in suo Decreto 26 Novembris 1602, quod non extenditur ultrà, sed restringitur ad Italiam his verbis: *per universam Italiam extra urbem degentibus.*—Confessarii privilegiati, in quantum eorum privilegia ad papales casus absolvendos se extendunt, Romæ, et in ejus suburbiis poterant à dictis quinque casibus absolvere: sed ex Decreto Clem. XI. 13 Martii 1711 nequeunt absolvere à publica fractione clausuræ monialium ad finem luxuriæ, neque à publico presbytericidio, neque à publica violatione immunitatis ecclesiasticæ; sicuti neque ab occulta, si immunitas hæc violata fuerit auctoritate publica. —IV. In articulo mortis cessat omnis reservatio censurarum et peccatorum, ne quis scilicet hac occasione pereat (Trid. sess. 14. c. 7. *de Penit.*): absolutio tamen à censuris fit cum onere repræsentandi se superiori, si absolutus mortem evadat.

235. Q. VII. *Quæ sit forma absolutionis à censuris?*

R. 1.º Forma substantialis non est determinata, adeòdque fieri potest quibuscumque verbis, scripto etiam per epistolam respectu absentis; cùm etiam absens excommunicari possit; licet absens sacra-

mentaliter à peccatis absolvi nequeat; quia non constat de ejus dispositione et forma, *absolve te*, non verificaretur.

2.º Ad formam accidentalem, et de præcepto requiruntur seqq:—I. Ut reus humiliter petat absolutionem à censura; valeret tamen absolutio data invito et repugnanti; quia pœna pro placito superioris tolli potest.—II. Ut reus prius satisfaciat parti læsæ, nisi deesset impotentia, quo casu sufficere cautio saltèm juratoria: secus absolvens graviter peccat; quia lædit jus partis et violat juris ordinem.—III. Ut absolvens in causa principali falsa non decipiatur; secus absolutio non valeret, ut si quis falso dicat se ab hæresi recessisse.—IV. Ut servetur ritus in Pontificali Rom. præscriptus, sive quis vivus, sive mortuus absolvatur; quamvis omissio hujus ritus non videatur gravior esse illicita, præsertim si justa causa suadeat eum omitti: ità hæc omnia habentur c. 28. 40. 42. *h. t.* Ritus sollemnis absolvendi à censura, præsertim excommunicationis, habetur in Rituali Romano.

## § II.

### De Excommunicatione in specie.

236. Excommunicatio est: *Censura ecclesiastica, privans fidelem omni ecclesiastica communione:* com. ex can. 32. et 107. *caus. 11. q. 3.* Dicitur *ecclesiastica*, quia censura ista non privat hominem communionem bonorum internorum, ut gratia, fide, ceterisque gratiæ bonis, sed tantum communionem bonorum externorum tam spiritualium, quàm temporalium, quæ subjacent jurisdictioni et distributioni Ecclesiæ. Excommunicatio est duplex: *major* seu simpliciter talis, mox definita: et *minor* seu *secundùm quid talis*, quæ privat solo passivo usu seu receptione sacramentorum, et consequenter unicus effectus illius est privatio receptionis sacramentorum. At excommunicationis majoris sunt multi et graves effectus, quos ad tres classes reducimus, uti sunt:—1.º Privatio sacramentorum et piorum operum exteriorum.—2.º Privatio officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum:—3.º Privatio communionis politicæ.

237. Q. I. *Quibus bonis spiritualibus privet excommunicatio?*

R. 1.º Activo et passivo usu sacramentorum (c. 32. 50 *h. t.*), excepto mortis articulo. Unde regulariter loquendo, excommunicatus recipiens sacramenta læthaliter peccat; et si in excommunicatione absolvatur à peccatis, absolutio est invalida ob defectum dispositionis: et clericus ministrans in excommunicatione sacramenta, fit irregularis (c. *fin. de cler. excom.*)—2.º *Sacrificio Missæ*; secus si excommunicatus ei assistat, peccat mortaliter: imò si est vitandus, expelli debet: aut si

non possit, missa ante canonem abrumpitur, et post canonem continuatur usque ad communionem, et facta sumptione, statim receditur ad sacristiam, omissis ceteris orationibus (c. 26. h. t. in 6. Clem. 2. v. nonnulli, cod.) Quòd si sacerdos coràm excommunicato vitando celebret, præter grave peccatum et excommunicationem minorem, interdicitur ingressu Ecclesiæ (c. 8. de privil.)—3.º *Divinis officiis*, ut publica horarum recitatione, processionibus, benedictionibus etc.: privatim tamen, si aliàs obligatus est, potest, imò tenetur recitare Horas Can. eique socius, præsertim subditus indulgetur ad conrecitandum, sicut capellanus Episcopo excommunicato.—4.º *Communibus Ecclesiæ suffragiis* Unde non licet publica Sacrificia et orationes pro excommunicatis in genere vel specie offerre, neque indulgentias eis concedere (c. 28. et 38. h. t.). Privata autem suffragia, orationes et missæ ex privata intentione offerri possunt pro conversione excommunicatorum, cum privata suffragia non subsint Ecclesiæ.—5.º *Ingressu Ecclesiæ* tempore, quo divina celebrantur: alio verò tempore potest excommunicatus in templo orare; uti et habere aquam benedictam et alia sacramentalia.—6.º *Sepultura sacra*, ut dixi *titul. de sepult.*, nisi excommunicatus ante mortem pœnitentiam agat.

238. Q. II. *Quibus officiis privet excommunicatio?*

R. Sèqq:—1.º Excommunicatus fit inhabilis ad obtinenda quæcumque officia et beneficia ecclesiastica, ità ut collatio seu alia provisió sit ipso jure nulla (c. 7. de cler. excom.): beneficiis verò antea obtentis non privatur, nisi privatio ista specialiter sit annexa et expressa in jure, sicut in casu hæresis: imò si collatio facta sit tempore habili, et acceptatio tempore excommunicationis, validè censetur collatum beneficium, ut tenent Covar., Garc. etc. contra Suar., Laym. Nam jura irritant id solum, quo titulus beneficii datur; sed sola collatione titulus beneficii datur, acceptatio verò est tantùm conditio ex parte recipientis; ergò. Tum quia voluntas retinendi beneficium antea canonicè obtentum non inficit valorem tituli tempore excommunicationis; ergò neque voluntas acceptandi beneficium canonicè oblatum tempore excommunicationis impedit valorem tituli. Ceterùm, cum hic versemur in materia odiosa, nomine beneficii non veniunt hic simplices pensiones; ut si clerico excommunicato resignanti, vel lite cedenti aliqua pensio constituatur; tunc enim pensio ista valebit.

2.º Clericus in excommunicationem incidens, ipso jure et facto non privatur fructibus beneficii antea canonicè obtenti: ità Sanch., Laym., Salmant. et alii contra Covar., Filliuc. Garc. etc. Nam id nullo claro jure statuitur, siquidem c. 53. de appellat. in verbo *subtrahuntur*, sufficienter indicatur, quòd privatio fructuum facienda sit ministerio iudicis, sicut denunciatio excommunicationis. Neque Papa respondet, quòd privatio fructuum eodem modo incuratur, quo privatio communionis fidelium: sed quòd ista sit causa sufficiens illius, quia meretur clericus fructibus privari, qui communionem fidelium privatus est: et ità consuetudo textum istum interpretatur. At post sententiam tene-

tur clericus fructus tempore excommunicationis perceptos restituere, donec absolvatur: si tamen pauper sit, eos sibi applicare potest; cum fructus isti distribuendi sint pauperibus vel Ecclesiæ.

3.º Excommunicatio privat usu jurisdictionis ecclesiasticæ, ità ut excommunicatus vitandus eam nec licitè, nec validè exerceat (Can. 4. *audivimus*, 24. q. 1. c. 24. de sent. et re jud. c. 10. de off. deleg. in 6. etc.) Unde acta Prælati excommunicati non valent, sive sint judicialia, sive extrajudicialia, contentiosa aut voluntaria, cum potestas ea exercendi sit impedita.—II. Non valet electio, quam suffragium excommunicati complet; vel si excommunicatus scienter admititur ad suffragandum (c. fin. de procuratore): nec valet præsentatio, quam clericus ratione dignitatis exercet (arg. c. fin. de elect. in 6.): secus si ad clericum præsentatio pertinet titulo seculari, ut patrimonii. Resignatio autem beneficii ab excommunicato facta absolutè, vel in favorem tertii valet, cum non sit actus jurisdictionis aut officii, sed merè voluntatis: quamvis prælatus excommunicatus eam admittere non possit.—III. Excommunicatus toleratus validè exercet jurisdictionem, si exceptione excommunicationis non excludatur (c. 12. de except. c. 1. cod. in 6.); nam Ecclesia permittit communicationem cum excommunicatis, donec exceptio opponatur, et intra 8 dies probetur; *ibid.*

4.º Excommunicatio privat facultate concionandi et publicè legendi sacram theologiam, aut sac. Canones; nam ista est notabilis communicatio excommunicatis prohibita, saltèm vitandis. Hoc tamen excommunicatis permittitur, ut concionem pro sua conversione audiant (c. 43. h. t.)

239. Q. III. *Qua communione politica privet excommunicatio?*

R. 1.º *Communione forensi*, ità ut excommunicatus vitandus non possit esse iudex aut magistratum gerens, arbiter, actor, advocatus, procurator ad lites, testis, tabellio (Can. 6. nullus 3. q. 4.); officia tamen privata, ut tutoris, curatoris, suscipere potest, uti et assistere matrimonio, et assistendi facultatem tribuere ac professionem religiosam admittere etc.—2.º Excommunicatis prohibetur communicatio politica hoc versiculo expressa:

*Os, orare, vale, communico, mensa negatur.*

*Os* significat osculum pacis et alia benevolentiae signa. *Orare* significat orationem publicam et etiam privatam. *Vale* honorificam salutationem: licet consuetudo admittat, ut excommunicato assurgatur, caput aperiatur. *Communico* significat omnem mutuum actionem, ut cohabitationem, collocutionem, celebrationem cujuscumque contractus, factionem testamenti. Quamvis verò actus isti ab excommunicato illicitè fiant contra præceptum Ecclesiæ, sunt tamen validi; cum nullo jure irritentur

240. Q. IV. *Qui sint alii remoti effectus excommunicationis?*

R. Tres præcipui:—1.º Si quis per annum perseveret in excommunicatione specialiter lata ab homine, fit suspectus de hæresi (Trid.

*Sess. 25. c. 3. de ref.*: si verò citatus se purgare, et impedimentum allegare noluerit, puniendus est, ut hæreticus (*c. 7. de hæret. in 6.*)—2.<sup>o</sup> Si insordescat in excommunicatione per annum, habetur pro convicto (*Can. 36. et seqq. 11. q. 3.*), quia contumacia ista habetur pro confessione.—3.<sup>o</sup> Clericus per triennium durans in excommunicatione, privandus est beneficiis (*cap. 8. de etat. et qualit.*)

241. Q. V. *An, et in quibus casibus excommunicatus exercere possit actus sibi prohibitos?*

R. 1.<sup>o</sup> In periculo mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, licet excommunicato suscipere sacramenta; imò et administrare, si à fidelibus petantur, et ille ex officio teneatur ea administrare. Nam in his casibus arduis Ecclesia non censetur obligare. Unde si excommunicatus ex urgenti necessitate accederet confessarium, qui non valens absolvere ab excommunicatione, absolveret à peccatis, ceteris positis, validum esset Sacramentum pœnitentiæ, ut communis sententia tenet contra Sylv., Vasq. et alios; nam in tali casu arduo, maxime si concurrat ignorantia vel oblivio probabilis censuræ, nullo jure constat invalidari Sacramentum pœnitentiæ: imò nec est credibile præceptum Ecclesiæ extendi ad casus adeò arduos in materia Sacramentorum; Salmantic.—2.<sup>o</sup> Excommunicatus toleratus, dummodò se non ingerat, ad petitionem fidelium validè et per se licitè, ut aliqui sentiunt, omnia Sacramenta administrat ex favore Conc. Constantien. fidelibus concesso, ut mox dicitur.

242. Q. VI. *An fideles habeant privilegium communicandi cum excommunicatis?*

R. 1.<sup>o</sup> Hodie licitè communicare possunt cum omnibus excommunicatis publicis et privatis, in divinis et politicis, exceptis duobus casibus: si excommunicatus vel interdictus sit specialiter et expressè, seu nominatim publicè denunciatus per sententiam judicis, vel si sit notorius percussor clerici, putà notorietate facti, dum percussio fit in loco publico, et coràm magna parte communitatis, ut nulla tergiversatione celari possit: ità indultum fuit in Conc. Constantiensi, et roboratum per Const. Martini V. incip. *Ad evitanda scandala, et multa pericula, quæ conscientis timoratis contingere possunt* etc. Qua tamen Constitutione nullus favor ipsis excommunicatis concessus est, ut hi communioni fidelium se ingerere possint, ibi: *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos et interdictos seu prohibitos non intendimus in aliquo revelare, nec eis quomodo libet suffragari.* Unde sequitur:—I. Quòd fideles à Parocho vel alio Sacerdote excommunicato petere possint celebrationem Missæ et Sacramentorum administrationem, sive adsit casus necessitatis aut specialis utilitatis, sive non, quia Decretum Constant. indistinctè loquitur. Neque per hoc fidelis cooperatur peccato excommunicati; tum quia utitur jure suo; tum quia opinantur aliqui, actiones istas spirituales fieri posse sine peccato; nam hoc ipso, quòd fidelibus liceat communicare cum excommunicatis, indirectè et in consequentiam conceditur, ut ministeria quæ à

fidelibus petuntur, licitè exercere possint.—II. Quòd excommunicatus toleratus, non tantùm alia Sacramenta, sed etiam Sacramentum pœnitentiæ validè administrare possit, quoties id petitur à fidelibus; nam ex parte pœnitentis nullus adest defectus, ut supponitur; ex parte verò confessarii excommunicati non deficit jurisdictio, quia illam habet ex Conc. Const. pro casu, quo fidelis absolutionem ab illo petit, dummodò ante excommunicationem, jurisdictionem et approbationem ab Ordinariò habuerit, et ea specialiter privatus non fuerit.—III. Quòd excommunicatus toleratus, si absque petitione fidelium ingerat se divinorum administrationi, peccet graviter, et exercendo actum ordinis, v. g. sacrificando, solemniter baptizando, nuptias benedicendo, incurrat irregularitatem (*c. fin. de cler. excom. ministr.*) Et quamvis cetera Sacramenta validè, tamen Sacramentum Pœnitentiæ invalidè administrat ex defectu jurisdictionis per excommunicationem suspensæ; quo tamen casu invalidè absolvens fit irregularis, quia actum ordinis exercet, licet per accidens invalidum.—IV. Quòd fideles, si velint, liberè se retrahere possint à communionem excommunicati tolerati, ut recedendo à Missa Parochi, recusando mandatum Prælati, excipiendo contra judicem, actorem etc., nisi aliud habeat consuetudo aut pacta publica; sicut in Germania, ubi hæretici nequeunt excludi ab officiis publicis, judiciis etc.; nam per Decretum Constant. nullus favor excommunicatis directè est attributus.

*Dices*: Concil. Basileense sess. 20. modificavit decretum Concilii Const., declarando quoscumque notorios excommunicatos esse vitandos.—*R.* Cum Avila decretum Concilii Basil. loqui de illis, de quibus Decr. Conc. Const., putà de notoriis percussoribus clerici: vel cum Turrecrem. decretum istud nullius esse auctoritatis, cum factum sit post Schisma Concilii, ubi omnia acta reprobata sunt ab Eugenio IV. et Nicolao V.

2.<sup>o</sup> Fideles tenentur vitare communionem cum excommunicatis non toleratis: quales sunt personaliter denunciati, et notorii percussores clericorum: ità commun., ex citat. Decr. Concil. Constant., quo jus antiquum *c. 14. h. t.* in hoc puncto non est correctum. Ista tamen communicatio regulariter non excedit peccatum veniale et excommunicationem minorem (*c. 29. h. t.*) At mortale est in casibus seqq.:—I. Si fidelis publicè communicet in rebus divinis; quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi.—II. Si communicet in crimine criminoso, hoc est, in illo crimine, ob quod alter excommunicatus est (*cap. 55. h. t.*): ut si clericus communicet in crimine concubinæ personaliter excommunicatæ etc.; quo casu major excommunicatio incurritur.—III. Si quis à Papa excommunicatus est, clericus cum eo spontè in divinis communicans, præter peccatum mortale, incurrit majorem excommunicationem Papæ reservatam (*c. 18. h. t.*)—IV. Si quis post competentem monitionem participet cum excommunicato, postquam lata est sententia contra participantes nominatim expressos incurrit majorem excommunicationem (*c. 9. et 13. h. t. in 6.*)

3.<sup>o</sup> Fideles, suadentibus justis causis, communicare posunt cum excommunicato vitando, quæ hoc versiculo exprimuntur:

*Utibe, lex, humile, res ignorata, necesse.*

Licet proinde ista communicatio:—I. Ex causa *utilitatis* tam spiritualis, quàm corporalis: ut dare excommunicato salutaria monita, elemosynam, recipere debitum etc.—II. Ex causa *legis* seu *obligationis matrimonialis* (c. 31. *h. t.*); atque ità uxor marito excommunicato potest communicare in cohabitatione, mensa, debito conjugali; *Can.* 103. *quoniam* 14 q. 3., qui Canon ob identitatem rationis in correlativis intelligitur etiam de marito, ut uxori excommunicatæ cohabitare et communicare possit—III. Ex causa *humilitatis* seu *subjectionis* et potestatis, sicut filius cum patre, servus cum domino, clericus cum Episcopo, miles cum duce, et econtrà, communicare valent: non tamen vasallus cum domino, cui propriè non servit.—IV. Ex causa *ignorantiæ*, sive juris, sive facti, modò non sit affectata.—V. Ex causa *necessitatis* sive spiritualis, sive temporalis (*cit. Can. quoniam.*) Unde in casu necessitatis potest fidelis ab excommunicato petere baptismum, quem tamen sine solemnitate administrare debet: item Sacramentum pœnitentiæ, et si infirmus confiteri nequeat, Eucharistiam; vel si hac refici non possit, extremam unctionem. Quo casu ad petitionem fidelis excommunicatus licitè administrat ista Sacramenta, dummodò ex alia causa non impediatur, ut est opinio probabilis.

243. Q. VII. *Quid juris circa excommunicationem minorem?*

R. 1.<sup>o</sup> Hæc incurritur ob solam communicationem cum excommunicato vitando, ut ante n. 243. dictum, ejusque effectus directus est privatio usus passivi seu receptionis Sacramentorum (c. 59. *h. t.* 2. *de except.*): activa verò administratio Sacramentorum non est prohibita. Indirectus verò effectus est inhabilitas ad beneficia (*cap. fin. de cler. excom.*); adedque clericus minori excommunicatione irretitus non potest eligi: electio tamen ejus non videtur irrita ipso jure, cum *cit. c. fin.* dicatur irritanda.—2.<sup>o</sup> Ab excommunicatione minori probabilius absolvere potest quilibet sacerdos, qui absolvere potest à peccato participationis: adedque si excommunicatio minor incursa est ob veniale peccatum, quisque sacerdos ab ea absolvere potest: ità S. D. in 4. d. 18. q. 2. a. 1. q. 1. *in corpore*, inquit: *A minori excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere à peccato participationis.* Nam absolutio a censuris, tanquam prævia, sequitur naturam absolutionis à peccatis; et ideo cui conceditur facultas absolvendi à peccatis mortalibus, conceditur etiam facultas absolvendi à censuris non reservatis: et concessa facultate absolvendi à reservatis, conceditur etiam facultas absolvendi à censuris reservatis propter ista peccata incursis: ergò etiam cui conceditur facultas absolvendi à venialibus, conceditur quoque facultas absolvendi à minore excommunicatione: unde in c. 29. *h. t.* nomine *proprii sacerdotis* venit is, qui absolvere potest à peccatis.

Et hæc de excommunicatione in genere. Nunc, omissis aliis excommunicationibus in specie, de quibus suis titulis egimus, superest aliquid dicere de excommunicatione Canonis.

244. Q. VIII. *Quæ specialia habeat excommunicatio Canonis 29. si quis 17. q. 4: Si quis suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrit, ut in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: et nullus Episcoporum illum præsumat absolere (nisi mortis urgente periculo), donec apostolico conspectui præsentetur et ejus mandatum suscipiat?*

R. 1.<sup>o</sup> Privilegio Canonis hujus gaudent omnes, qui in materia favorabili veniunt nomine clericorum, etiam tertiarii et eremitæ, emissio voto sub regula et obedientia superioris viventes. Econtrà privantur hoc privilegio clerici degradati, bigami, conjugati non deferentes habitum et tonsuram, minoristæ, qui dimisso habitu, armis et negotiis secularibus vacant, et post trinam monitionem non resipiscunt, clerici joculatores, macellariam vel eauponariam personaliter exercentes, vel dimisso habitu enormitatibus se immiscentes, de quibus suis locis dictum, ex c. 2. *de pœn. in 6.*, c. *un. de bigam. in 6.*, c. *un. de cler. conjug. in 6.*, c. *un. de vita, et honest. in 6.* et *Clem. un. eod. c. 25. et 45. h. t. etc.*

2.<sup>o</sup> Excommunicationem Canonis incurrere possunt omnes doli capaces, etiam pueri et mulieres (c. 6. et *fin. h. t.*), qui violentas manus injiciunt in clericum, vel in res ejus personæ propinquè adhærentes: ut illum percutiendo, injuriosè conspuendo, pulverem in eum projiciendo, venenum ei porrigendo, vestimenta in eo lacerando, caudam vel ephippium equi, cui insidet, præcidendo etc., modò actiones istæ exerceantur *suadente diabolo*, hoc est, animo injuriandi et inhonorandi clericum. Hac excommunicatione tenentur mandantes et consulentes, mandato aut consilio efficaciter non revocato (c. 6. *in fin.* et c. 47. *h. t.*), uti et ratam habentes percussionem nomine suo factam (c. 23. *ead. in 6.*)

3.<sup>o</sup> Ab excommunicatione Canonis excusantur:—I. Qui ex justo mandato Prælati clericum criminis capiunt, incarcerant vel torquent (c. 35. *h. t.*). At si Prælati injustè, et contra formam juris clericum capiat, incarceret vel torqueat, vel eum carceri nimis squalido, indecenti, subterraneo et obscuro includat, ipse cum omnibus cooperantibus incurrit excommunicationem hujus Canonis, ut com. docet, ex *cit. c. 35. h. t.* et *Trid. sess. 25. c. 6. de reform.*, ubi pro carcere clericorum et religiosorum vult esse locum decentem.—II. Clerici pueri inter se rixantes excusantur ab excommunicatione Papæ reservata, ità ut absolvi possint à proprio Episcopo (c. 1. *h. t.*)—III. Officiales publici, qui clericum de nocte vagantem et malum facere meditantem capiunt, ut eum Prælati præsentent.—IV. Qui ex ignorantia facti, vel etiam juris, vel defensionis causa clericum percutiunt.—V. Qui volens percutere clericum, aberrando percussit laicum vel præter opinionem alium clericum: secus si injuriosè percussit Titium clericum, quem

cogitavit esse Cajum.—VI. Qui percutit in continenti clericum turpiter agentem cum uxore, matre, filia, sorore, licet actus turpes sint in sua specie imperfecti: quo casu percussus peccat quidem graviter, sed ob causam justam doloris non punitur excommunicatione, etiam in casu, quo invigilavit tali clerico (*c. 3. v. nec illa h. t.*)—VII. Magister etiam laicus correctionis causa percussus clericum discipulum, ut *tit. de cler. percussor.*, quod etiam permittitur senioribus canonicis, ut pueros minoristas divina officia turbantes moderatè percutere possint: uti et parentibus ac propinquis disciplinæ causa percussentibus (*c. 54. in fin. h. t.*), quæ dispositio non videtur extendenda ad percussorem in sacris constitutorum, nisi castigans sit Prælati aut magister (*c. 10. h. t.*)

4.º Absolvere ab excommunicatione Canonis de jure com. potest solus Papa, ut patet ex *cit. Can. si quis*. Ex speciali concessione etiam alii, ut Legatus à latere, et Nuntius apostolicus, ut dixi *tit. de off. legati*.—II. Episcopi, eorumque Vicarii ab hac excommunicatione occulta, et in casu impedimenti absolvere possunt secundum dicta hinc n. 235.: item ob percussorem levem (*c. 17. h. t.*) Quæ autem sit percussio *levis, gravis et atrocis* seu enormis, pendet à circumstantiis et arbitrio iudicis.—III. Prælati regg. pro utroque foro suos religiosos absolvere possunt sine missione ad Sedem apostolicam vel Legatum à latere (*c. 2. h. t.*), et si percussus sit religiosus alterius Ordinis, absolutio pertinet ad Prælatum percussoris: satisfactio verò utriusque Prælati consensu imponenda (*c. 32. h. t.*) Si verò clericus secularis graviter percussus sit, vel in Episcopum aut Abbatem violenta manus injecta, absolutio pertinet ad Papam; *ibid.* Si levis fuit percussio, absolvit Episcopus religiosum non exemptum; imò et exemptum de consensu Prælati (*c. 21. cod. in 6.*): alioquin si Prælati ex justa causa neget hanc absolutionem exempti, absolutio pertinet ad Papam. Hodie Prælati regg. ex specialibus privilegiis suos religiosos absolvere possunt à percussione etiam enormi, dummodò Episcopus aut clericus secularis non sit graviter percussus.

5.º Confessarii regg. in privilegiis communicantes in foro conscientie absolvere possunt à percussione quacumque etiam enormi, dummodò sit occulta: et quidem, sine onere præsentandi se conspectui apostolico; nam *c. 13. et 58. h. t.* statuit onus istud imponi ab iis, qui non habent privilegium absolvendi, sed tantum in casu impedimenti absolvunt.

### §. III.

#### De Censura Suspensionis.

245. *Suspensio* est: censura ecclesiastica privans clericum per se et directè usu officii, beneficii vel utriusque simul. Differt ab *excom-*

*municatione*, quia hæc privat omnibus bonis spiritualibus et politicis externis, fertur in clericos et laicos, et non per se, sed consecutivè privat usu ordinum, in quantum impedit Sacramentorum administrationem: econtrà suspensio non privat omnibus bonis; fertur in solos clericos et directè impedit usum ordinum, licet ipso ordine suscipiendo non privet, nisi consecutivè. Differt etiam ab *interdicto*, quia hoc privat receptione aliquorum Sacramentorum, divinis officiis et sepultura ecclesiastica; et in laicos ferri potest: secus est in suspensione. Est autem suspensio alia *partialis*, quæ privat usu ordinis tantum, vel officii seu jurisdictionis, vel beneficii seu administrationis quoad fructus: alia *totalis*, quæ his omnibus privat. Item alia à *jure*, alia ab *homine* lata, alia *absoluta* sine determinatione temporis, alia *restricta* ad certum tempus, alia per modum *veræ censure*, alia per modum *pænæ vindictivæ* aut inhabilitatis, sicut *c. 14. de temporib. ord. c. 1. de ordinat. ab Episcop.* etc.

246. *Quis, et in quem ferre possit censuram suspensionis?*

R. 1.º Solus clericus, et in solum clericum Ecclesiæ subditum ferre suspensionem potest; et quidem suspensionem *juris*, qui jus potest condere: suspensionem *hominis*, qui clericum judicare et contumacem punire potest. Dicitur *subditum*, quia Papa nullius censure est capax.—2.º Episcopus sine consensu capituli suspensionem hominis, seu sententiam judicialiter suspensivam ferre potest; nam talis viget consuetudo, qua abrogatur *c. 1. de excessib. Prælat.*, et *can. 6. Episcopus 15. q.*—3.º Prælati regulares in tantum suspendere possunt suos religiosos, in quantum eis regula permittit.

247. Q. II. *Qua forma feratur suspensio ab homine?*

R. 1.º Adesse debet culpa gravis, et simul contumacia, prævia monitio triplex, et ipsa sententia suspensionis in scriptis concipi cum expressa causa, sicut de excommunicatione dictum ex *c. 1. 5. 13. h. t. in 6.*; alioquin si hæc forma, licet accidentaliter non observetur, iudex per mensem ab ingressu Ecclesiæ et divinis officiis suspenditur, et ad expensas suspensio condemnatur (*cit. c. 1. h. t. in 6.*)—2.º Si suspensio fertur per modum pænæ vindictivæ, præter delictum grave, non requiritur contumacia et monitio, sed probato delicto, suspensio per sententiam infligitur sicut alia pænâ vindictivâ (*c. 7. et 44. de elect., c. 2. de offic. deleg. in 6. et alibi.*)

248. Q. III. *Qui sint effectus suspensionis?*

R. 1.º Pro varietate hujus censure sunt varii:—1. Suspensus ab ordine non censetur suspensus à jurisdictione, et suspensus ab ordine inferiori exercere potest actus ordinis superioris, nisi in his concurreret actus ordinis inferioris: qualiter suspensus à diaconatu, non potest missam legere, quia in ea concurrunt actus ordinis diaconalis, scilicet legere Evangelium: ceteros verò actus Sacerdotii exercere potest, ut prædicare, absolvere etc.—II. Suspensus ab officio simpliciter, censetur suspensus ab omni actu ordinis et jurisdictionis: quia hoc utrumque venit nomine officii: non tamen est suspensus à beneficio seu per-